Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1753) Lisez 1453

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 28. Februarii.

M. FRANCISCO LE RAT, Doctore Medico, Moderatore.

An fluori albo aquæ Metallicæ?

FLUOR albus mulieribus circa Mæotidem paludem, & Phaſim fluvium degentibus familiaris; Pariſinis, cæteriſque magnas urbes luxuriæ plenas incolentibus, penè vernaculus, Diſtillatio eſt per uterum, modò continua, modò in-
terpolata, colluviei plerumque, cremori hordei, aut lactis ſero perſimilis, ſubflavæ nonnunquam aut viridis, vel nigricantis, vel ſanioſæ, ſæpius graveolentis. Hujus affectus non eadem vis & noxa eſt: quandoque levior, ac ſolo
tædio & fœditate, aliàs lumborum dolore, laſſitudine ſpontaneâ, & virium dejectione moleſtus; interdum dierum numero & vires eundo acquirens, pro ſtillantis humoris indole, vel pituitoſi, vel acris, modò cachexiam, inappeten-
tiam, cruditatem ventriculi, prolapſum uteri, modò febrem, ſitim, convulſionem accerſit; non rarò etiam Gonorrhœam virulentam conſimilibus ſymptomatis mentitur, quæ tamen ex illuviei copiâ, locorum muliebrium inſpectione, ægro-
tantis querimoniâ diſcernes. Aberrant, qui utriuſque affectus materiem, nihil aliud eſſe putant, quam ſuperfluum ſeminis in veſiculis & proſtatis reconditum. Malè ergo fluor albus perhibetur corruptæ virginitatis ſignum. Mulieres verà
adultiores, vetulas, prægnantes, ſeptennes etiam & triennes puellas promiſcuè exercet; has tamen rarius. Credeſnè fœdum adeò tædiique plenum, totque ſymptomatis gravem affectum aliquandò ex uſu eſſe? Ei interdum vitam debent mu-
lieres valetudinariæ, eoque à periculoſis morbis vindicantur. Cave ergo ne imprudenter & intempeſtivè ſiſtatur. Et ſi illius curationem mediteris, corpore primùm repurgato, præmiſſiſque univerſalioribus, ut fieri amat, & neceſſe eſt, ea
Diureticis tentanda, non omnibus quidem & indiſcriminatim, ſed iis ſolum, quæ cauſas omnes hujus morbi fomites expugnare, & craſſos humores perindè ac tenues educere valeant.

COLLUVIES feroſa non à ſolo cerebro diffluit; hepatis quoque, lienis, venoſi & arterioſi generis partus eſt. Hinc in varias partes dum ruit, diverſos producit affectus, rarò ad hujus potius, quam ad illius morbi generationem
pronior. Sicut ejus non unus fons & ſcaturigo, ita generationis non una ſed multiplex ratio. Succreſcit autem dum ſerum ſanguinis fibris ſupra modum à nimiâ coagulatione conſtrictis exprimitur, vel iiſdem ſolutis contineri, vel præ
nimiâ cruoris viſciditate in ejus ſinum admitti, aut ſi admittatur, cum illo permiſceri nequit, quo fit, ut ex arteriarum oſculis exudet, & in hanc vel in illam partem dilabatur. Interdum etiam gignitur ob ſingulare quoddam ſanguinis, &
partium principum vitium, cujus ſicut indolem induit & caracterem, ſic etiam pleumque quamdam præ cæteris afficit partem. Quemadmodum enim non rarò varium eſt malignum illud miaſma, quo inficitur cruor; & Hepatis & Lienis
obſtructio quoque varia eſt: alia videlicet cui Cachexia, alia cui Chloroſis & Malacia ſuccedit; quædam ad producendam affectionem hypocondriacam, hæc ad Scorbutum proclivior; alia, quam Leucophlegmatia excipit: Ita quandoque
diverſæ ſunt colluviei feroſæ ſpecies; alia gingivas maximè impetit & exedit, ut Scorbutica; alia noctu potiſſimum ſævit & medios artus occupat, ut Venerea; alia articulos ut Arthritica; alia inteſtina; alia pulmones, alia pleuram, unde
Diarrhæa, Peripneumonia, Pleuritis creatur. Quidni & alia ad uterum vergit, unde fluor muliebris. Ut ut ſit, utrique colluviei feroſæ ſpeciei, ſive vulgari, ſive malignæ novum accedit vitium ab utero. Neque enim ille innocuus alienas
ſolummodo excipit ſordes, quin imò adauctâ nequitiâ, eas ſingulari quâdam ac propriâ labe inquinat. ſubſtantiæ enim fluoris muliebris varietas, color, teter ejus halitus, & virus malignum, aliud adhuc præter ſanguinis vitium declarant. An
tantæ labis fons ſit ſalina ſubſtantia, ſeu fermentum acidum uteri rugis inſitum, quo, quidquid ad uterum appellit, ſæpius in album faceſſit colorem, in obſcuro adhuc poſitum eſt. Incertum quoque eſt, an ſanguinis menſtrui & fluoris mu-
liebris eadem ſit materies, & cur ubi ille incipit, hic deſinat. Inter tot fluoris albi cauſarum genera hæres, an iis expugnandis ſufficiant Diuretica? Variæ ſunt illorum ſpecies, aliæ acidæ, aliæ acres & amaræ, aliæ ſulphureæ, aliæ mucilagi-
neæ. Sunt etiam quæ ad uterum potiſſimùm pertinent, ejuſque ſaburram, perindè ac præcordiorum expediunt, ac menſes movent. Non idcirco metuas, ne quantum detrahunt incommodi, tantumdem aliunde adjiciant; nec eorum uſum illis
tantum permittas, quarum cruor non repurgatur ſero. Mirificos etiam afferunt fructus, cum major illius fit ſecretio, ut in Hydrope. Apio & Azaro Boethi uxor commodè perſanata eſt. Rurſus ut multiplex ratio colliquationis ſanguinis,
coagulationis, viſciditatis nimiæ, partium principum obſtructionis, & uteri ſaburræ; Ita variæ ſunt acrium, ſulphureorum & acidorum ſpecies. Quælibet enim acida non cuivis diſſolutioni arcendæ, neque viciſſim omnia attenuantia cuivis
ſolvendæ coagulationi idonea. Quamobrem quæ diureticis vulgo imputantur vitia, accepta potius ferenda ſunt medentium errori, qui tum eorum naturam, tum fluoris muliebris indolem minus exploratas habent. Aptare autem varias diure-
ticorum ſpecies variis fluoris muliebris cauſis, hoc opus, hic labor eſt.

AQUAS Metallicas in Diureticorum cenſum referri, unanimis eſt conſenſus. An epotæ in uſum venire debeant, res in dubio apud eos tantum eſſe poteſt, qui iniquiùs ſentiunt de re metallicâ. Ut Mineralium familia non omnis noxia,
& inutilis, ita profectò aquæ metallicæ, nec omnes, nec ſemper damnandæ. Exulent quidem, quæ per rupes, & ſaxa excurrunt, quia crudæ & duræ ſunt, per urinas & alvum difficilius redduntur, nec abs re æſtuoſæ dicuntur; at alias,
quæ debito mineralium concurſu temperatæ, quales ſunt inter Thermas, Borbonienſes, Anſelmienſes, Arcimbaldicæ, Vichienſes, & inter Acidulas, Pugenſes, Spadenſes & Forgenſes regiæ, & Sanreginenſes, iniquus eſt rerum æſtimator, qui
apud vulgus traducit. Nec calorem, & ſiccitatem inemendabilem viſceribus, humoribuſve inferunt; nec caloris vi ipſa metalla concreſcunt, ut perperam clamitant quidam. Si quid iis igneæ ſubſtantiæ ineſt, materiæ metallicæ diverſitate, cœli
ſolique conditione, perfluentis aquæ qualitate contemperatur, vel ſaltem ut plurimùm. Verum ex ſolâ Metallorum naturâ vires aquarum Metallicarum ne metiaris; iis ſpiritus ineſt magnæ virtutis & efficaciæ, quem nemo viderit in cæteris
mixtis. Hoc fœtæ aquæ Metallicæ cæteris præſtant ecphracticis, ſed præcipuè diureticis, quod eorum vires unà complexæ, ſi non omnes, ex illis ſaltem aliquæ, quibuſcumque fluoris muliebris cauſis aptè, ſtrenuèque medeantur.

HALLUCINANTUR qui à mero viſcerum æſtu, quo partes dilatatæ tument, muliebrem fluxum derivant. Subeſt præterea in imis partium receſſibus limus quidam, cujus diluendi ratio non eadem, ut non eadem ſemper conditio:
hic ad gummatum genus; ille ad reſinam; quidam ad tartari naturam accedit, unde nunc aqueis, nunc ſulphureis, quandoque utriſque, ſed ſalium admixtione animatis ſolvi & elui ſolet. Aqua quidem ſimplex gummata diluit, inta-
ĉtam · elinquit reſinam, neque quaſcumque linteorum & veſtium ſordes terget, ſpiritu vini, vel felle bovis, vel ſale Ammoniaco, vel ſapone eluendas. Nec etiam par eſt quibuſcumque in humano corpore aggeſtis humoribus diluendis &
exped idis. Multò pluribus opus eſt artibus, terebinthinâ & oleorum cum ſpiritu ſalis permixtione, ad ſolvendos tartareos renum affectus; oleo Amygdalarum dulcium cum ſyrupo capillorum Veneris ad pituitam diluendam grandini ſimi-
lem Peripneumonicorum bronchiis impactam; emulſionum & ſulphureorum uſu ad ſedandam hypercatharſim è ſcammonii reſinâ rugis ventriculi infixâ oriundam. Quid plura? Galenus graviſſimo colico dolore detentus, ad pituitæ vitreæ ex-
pulſionem oleum rutaceum, in cujus locum ſufficitur quandoque oleum nucum, vel manna Calabrinum, injici curat cum vino permixtum. Quemadmodum igitur obſtructio non à ſolo proficiſcitur calore, & diverſæ fiunt in corpore concre-
tiones pro diverſo humorum occurſu, ut calculus & ea coagulatio quæ fit ex vini ſpiritus cum urinæ ſpiritu mixturâ, ſic varia ſolventium ſeu menſtruorum genera ſtatuas neceſſe eſt. Quidni etiam ex iis quædam non admittas peculiaria,
quibus Scorburum, Hypocondriacam affectionem, Hydropem, Cachexiam, Fluorem Muliebrem expugnes? Illæ enim affectiones, quarum non rarò procreatrix eſt obſtructio, ut peculiarem nactæ ſunt indolem, ob diverſum concretionis ge-
nus, ita ſingularem deſiderant operam, quas ſolius aquæ frigidæ potu nuſquam profligâris. Ad aquas potius te conferas Metallicas, quæ triplici gaudent ſubſtantiâ, ſulphureâ, aqueâ & ſalinâ; patrium principum infarctibus, perinde ac cæteris
cauſarum fluoris muliebris generibus multò valentiùs ac feliciùs occurres. Acidulæ prout ferro, calcantho, ſulphure, nitro variè mixtis inſignitæ, humores temperant, calore concretos diluunt, ſuccos plus æquò luxuriantes vinciunt & coër-
cent, uterum tergent commodè, ſubductâ ejus ſaburrâ morbi fomite, ſi quæ ulcera hujus affectus conſectaria, ſiſtunt & exſiccant, apozemarum, injectionumque vices adimplent. Thermæ vero bitumine perfuſæ aggeſtos ubivis humores ſibi
congeneres emolliunt, vique ſalium, quibus adhuc ſaturantur, eluunt ſaponis inſtar; partes nutantes firmant, acidam ſanguinis affectionem, immodicamque ejus emendant viſciditatem & coagulationem ſolvunt.

SUSPECTA tibi ſunt Thermarum dona ob ſulphuream quâ fœtæ ſunt, ſubſtantiam, cæco igne medullis implicito? ſomnia terroris plena, neminem hactenus eas impunè hauſiſſe: primus artis antiſtes non vano perculſus metu, ſalſu-
ginis ergo edomandæ fluoris muliebris ad Thermas invitat. Non enim perpetuum eſt ſulphureorum uſu bilioſas febres accendi, quinimò cui non perſpecta eſt eorum vis in deliniendis acrioribus ſuccis? Spiritus Nitri, Vitrioli, Sulphuris,
cæterorumque id genus liquorum acor immoderatus affuſione ſpiritus vini inter ſulphurea non abs re adſcripti temperatur. Lactis uſu, cujus ſubſtantiam non aqueam & frigidam, ſed potiori jure ſulphuream dixeris, placantur arthritici dolores
acrioris feroſæ illuviei fœtus. Ad ferinos bilis atræ morſus in dyſenteriâ demulcendos decocto pingui & oleis quid præſentius? Sicut viſcerum obſtructionis expediendæ non una eademque ratio, ita humorum acrimonia quàm diverſo reme-
diorum apparatu emendatur; nunc aqueis, modò ſulphureis, aliàs teſtaceis, & cretaceis frangitur. Aquam enim ſimplicem ſuo frigore, quidquid acre & amarum caſtigare, & bilem obtundere, inanis & vana cogitatio. Non tam latè patet
ejus munificentia. Quemadmodum non omnes morbi à mero calore, quin imo plerique maximè vehementiores, ex ſuccorum intemperantiâ derivantur, acri nimirum, acido, aut auſtero aut acerbo, ut febres continuæ, peripneumonia, fluor mu-
liebris, ita ſolo non curantur refrigerio; nec antè eorum deſinit exacerbatio, quam ſuccorum acceſſerit attemperatio, coctio vel criſis. Simplex autem refrigeratio humores liquidiores non denſat, craſſos non attenuat, crudos non maturat,
ſuperbiùs exaltatos non remiſcet cum temperatis, hac remixtione non novam profert humorum ideam, ſeu mutationem ex quâ criſis fiat, vel coctio, quæ nihil aliud eſt, quam mixtio, temperatura mutua, mutuaque veluti elixatio. Præ-
terea appellare id remedii genus calidum, illud frigidum, & aſcribere huic cibo, quod ſit calidus, huic quod ſit frigidus, quid inconſultius? Non datur remedium, quod per ſe ſit calidum, ſolo calore ſit inſignitum, & nullam quam calidi
ideam præ ſe ferat, & ideo homini opem afferat, vel illum oblædat. Sicut in uno quoque remedio vel cibo, amarum, acidum, dulce, auſterum occurrit, perinde ac calidum frigidum, ita ſanè pro vario rerum concurſu & applicatione modò
calefacit, denſat, coagulat, & fermentationem promovet. Nec proinde potior eſt ratio, cur aquas metallicas calidas dixeris quam frigidas & emollientes, quippe quæ pro vario humorum occurſu, diverſâ partis affectæ conditione, variâ
ejuſdem affectione, modò calefaciant, exſiccent, refrigerent, emolliant, atque tam diverſæ, numeroſæque cauſarum fluoris muliebris & ſymptomatum feriei adeo commodè occurrant. Qui nihil aliud quam earum æſtum importunè obtru-
dit, dum tot mirandas earum dotes ſilet, æque culpandus venit, ac is, qui de ferro verba faciendo, vim incidendi ſolummodo ei impertit, cæteris viribus multò inſignioribus prætermiſſis.

Ergo fluori albo aquæ Metallicæ.

Aſſerebat Lutetiæ LUDOVICUS PIQUENOT DE DRAGUEVILLE, Vallonienſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.